



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

XXXIX. Facultas Ord. Min. de Observ. erigendi Confraternitates
Chordigerorum S. Francisci, ubi non adsint Min. Conventuales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

1673.

neralem, & Procuratorem Generalem Congregationis Hispaniae Fr. Discalceator. ac concessas esse, & fore declarat. Alias Indulgentias revocat.

Confratribus, & Confororibus, servata tamen praefertarum literarum forma, & dispositione auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, ac perpetuo concessas esse, & fore decernimus, & declaramus.

§. 20. Alias vero omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, si quae praeter sic a Nobis confirmatas, & de novo concessas his Confraternitatibus quovis modo generaliter concessae, & nondum revocatae sint aut praetendantur dicta auctoritate harum serie itidem perpetuo revocamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus.

Eisdem Ministro Generali, & Procuratori Generali Congregationis Fr. Discalceator. Hispaniae dat facultatem erigendi dd. Confraternitates eiusque dd. Indulgentias communicandi.

§. 21. Porro tam praefatis Antonio, & Philippo modernis, quam pro tempore existentibus Ministro Generali, & in Romana Curia Procuratori Generali dicte Congregationis Fratrum Discalceatorum Hispaniae, & huiusmodi Confraternitates sub Invocatione Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum pariter erigere, & instituire, illisque omnes supradictas a Nobis confirmatas, & de novo respective concessas, non autem alias illas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes communicare libere similiter, & licite possint, & valeant, & eorum quilibet possit, & valeat, servata pariter supradictae Constitutionis Clementis praedecessoris forma, & dispositione facultatem auctoritate, & tenore praefatis tribuimus, & impartimur.

Mandat servari formulam praescriptam in Communicatione Indulgentiarum.

§. 22. Caterum in functione praefata quam communicationem Indulgentiarum vocant per Fratres Discalceatos dicte Congregationis Hispaniae posthac obeunda formulam in praesertis Nostri litteris, sicut praemittitur praescriptam de cetero similiter servari volumus.

Decretum irritans.

§. 23. Decernentes pariter easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere: ac irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 24. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in litteris praesertis volumus non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§. 25. Volumus autem ut ipsarum quoque literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensa.

Edit. 3. Junii 1673. An. 4.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 3. Junii 1673. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

I. G. Slufius.

Registr. in Secret. in Libro Brevium Mensis Junii par. utraque fol. 592.

XXXVIII.

Indulgentia plenaria perpetua in Ecclesiis tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Praemonstratensium in Festivitatibus Assumptionis B. M. V. & S. Augustini, ac Festo S. Norberti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua fit commemoratio Sanctorum dicti Ordinis.

Bullarii Rom. Contin. Pars V.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Celestium munerum Thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad augendam fidelium Religionem, fovendamque, & incitandam erga Beatos Patriae celestis incolae pietatem arbitramur in Domino profuturum.

Exordium.

Exordium.

§. 1. Volentes itaque Ecclesias tam Canonicorum Regularium, quam Monialium Ordinis Praemonstratensium a S. Norberto, qui tanquam lucerna ardens supra candelabrum in domo Domini positus, Apostolicis Charismatibus, aliisque eximii divinae gratiae donis longe lateque refulsit, sub speciali Beatissimae Virginis Dei Genitricis Mariae protectione, ac Sancti Augustini regula salubriter instituti, ut condignis frequententur honoribus, & fidelium ad eas confluentium devotio augeatur, aliquo gratiarum spiritualium munere decorare, supplicationibus dilecti filii Francisci Boyrette Canonici Regularis expresse professi, & Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Monasteriorum, tam Canonicorum Regularium, quam Monialium dicti Ordinis Praemonstratensis haecenus erectis, & in posterum quandoque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in Assumptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, & S. Augustini festivitatibus, ac die festo S. Norberti praedicti, vel Dominica infra illius Octavam, & die 13. Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis praefati commemoratio ibidem fieri solet, necnon quamcumque Ecclesiam ejusdem Ordinis die festo specialis Patroni, seu Titularis ipsius Ecclesiae, cujus nomen in Martyrologio Romano annotatum reperitur, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, annis singulis, devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praedictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus, perpetuis futuris temporibus valiturus.

Indulgentia plenaria perpetua visitantibus Ecclesiis Ord. Praemonstratensis tam erectis, quam erigendis in aliquibus festis prout in rubrica.

Transumptorum fides.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Edit. 5. Julii 1673. An. 4.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Julii 1673. Pontificatus nostri Anno Quarto.

I. G. Slufius.

Registrata in Secretaria in lib. 4. Brevium Diversorum fol. 184.

XXXIX.

Confirmatio, & innovatio Brevis Pauli V. quo conceditur Ministro, & Commissario Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia facultas erigendi Confraternitates Chordigerorum S. Francisci in

Ecclesiis eorum Ordinis, ubi non adsint Ecclesiarum, vel Conventus Minorum Conventualium, cum declaratione, quod eis licuerit, & liceat ejusmodi Confraternitates etiam in Indiis erigere, illisque Indulgentias communicare.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Paul. V. revocat omnes Indulgentias Archiconfraternitati Chordigerorum Ecclesie Min. Conventualium Assisien. concessas.

Deinde omnibus ingredientibus dicti Archiconfraternitatem die 1. eorum ingressus concessit Indulgentiam plenariam.

Item Confratribus, & Confororibus Ecclesiam, seu Oratorium d. Archiconfraternitatis in illius festo principali visitantibus prout in rubrica.

In mortis articulo nomen Jesu ore sin minus corde devote invocantibus.

Tres annos, & totid. quadragenas concessit interressentibus Processioni dicti Archiconfraternitatis, quae singulis annis heri solet. 100. dies interressentibus Officio B. V. vel alteri a Confratribus pro tempore recitando. SS. Viaticum comitantibus quinque annos, & totidem quadragenas.

Vitiantibus Ecclesias Minor. Conventualium in certis festis prout in rubrica septem annos, & totid. quadragenas. Comitantibus corpora

Dudum fel. rec. Paulus Papa V. praedecessor noster, qui certas unicuique Archiconfraternitati indulgentias, & gratias spirituales, quibus in posterum frueretur, duxerat praescribendas; omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes Archiconfraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum Sancti Francisci Assisien. Ordinis Minorum Conventualium canonicè erectae, & illius Confratribus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos concessas revocans, & annullans, ac nullius roboris, & momenti exinde fore declarans, de Omnipotentis Dei misericordia, ad Beatorum Petri, & Pauli Apostol. ejus auctoritate confisus omnibus utriusque sexus Christianidelibus, qui in memoriam ejusdem S. Francisci chordam benedictam ab ejusdem Ordinis superioribus suscipientes, praedictam Archiconfraternitatem de cetero ingrederentur, die primo eorum ingressus, si verè poenitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam ipsis pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Archiconfraternitate Confratribus, & Confororibus, etiam vere poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui praedictae Archiconfraternitatis Ecclesiam, seu Oratorium in festo principali ejusdem Archiconfraternitatis ad primis vespers usque ad occasum solis ejusdem festi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effudissent etiam plenariam: In mortis quoque articulo eidem Confratribus, & Confororibus, qui vere poenitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequirent, saltem vere poenitentes nomen Jesu ore si possent, sin minus corde devote invocarent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit. Necnon ipsis Confratribus, & Confororibus, qui praedictae Archiconfraternitatis Processioni singulis mensibus fieri solitae interfuisent tres annos, & totidem quadragenas, qui vero officio Beatae Mariae Virginis ab ejusdem Archiconfraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuivis alteri officio pariter interfuisent, centum dies, insuper eidem qui Sanctiss. Sacramentum, quando ad infirmos deferretur, comitati fuissent quinque annos, & totidem quadragenas. Qui vero pariter vere poenitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, in ejusdem S. Francisci, ac S. Antonii de Padua, S. Bonaventurae, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, & S. Clarae festivitibus similiter ad primis vespers usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi singulis annis visitassent, & oravissent, ut praefertur, quo die festivitatum hujusmodi id egissent, septem annos, & totidem quadragenas. Quoties vero corpora defunctorum tam Confratrum, quam aliorum ad sepulturam comitati fuissent, aut alicujus pauperi personae in ejus necessitatibus subvenissent, aut pacem inter inimicos composuissent toties pro quolibet praedictorum ope-

rum centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxavit. Insuper eidem Confratribus, & Confororibus, ut supradictas Indulgentias, & gratias spirituales consequi, & illas Animabus defunctorum per modum suffragii applicare possent, concessit, & indulgit.

§. 1. Præterea tunc, & pro tempore existentis praedicti Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, ut Confraternitates laicorum utriusque sexus sub dicta invocatione Chordigerorum S. Francisci in qualibet Ecclesia Fratrum sui Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci erigere, & instituire, servata tamen forma praescripta in Constitutionibus re. me. Sixti Papae V. sub datum XIII. Kalendas Decembris Pontificatus sui Anno Primo, & Clementis Papae VIII. praedecessorum suorum super hoc editis possent, & valerent, facultatem imperitius est. Quae quidem Confraternitates sic, & postquam erectae, & institutae fuissent, eidem Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien. juxta praedictam Sixti V. Constitutionem essent, & esse intelligerentur aggregatae, & alias prout in ipsius Pauli praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 2. Martii 1607. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus durare voluit, continetur.

§. 2. Et subinde cum ex concessione praefati Sixti praedecessoris Ministro Generali, & Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Ecclesiis eorum Ordinis, in locis videlicet, in quibus Ecclesiae, vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, hujusmodi Confraternitates Chordigerorum erigendi, & instituendi facultas attributa fuisset, memoratus Paulus praedecessor eidem Ministro Generali, & Commissario Generali, & eorum cuilibet, ut in Ecclesiis eorum Ordinis tantum in locis, in quibus non extarent conventus, vel Ecclesiae Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Confraternitates Chordigerorum Sancti Francisci utriusque sexus erigere, & instituire, illisque sic erectis, & institutis, indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicare libere, & licite possent, & valerent, servata tamen forma in praedictis Constitutionibus Sixti, & Clementis praedecessorum tradita, quemadmodum in supradictis Pauli praedecessoris literis expressum reperitur, facultatem perpetuo duraturam auctoritate Apostolica concessit, & imperitius est, & alias prout in alterius ipsius Pauli praedecessoris literis pariter in forma Brevis die 25. Septemb. ejusdem anni 1607. emanatis, quarum, & priorum ejus literarum praefatarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius etiam continetur.

§. 3. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Maria à Bononia Prior Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit quo firmiora sint ea, quae iterato Apostolicae Sedis patrocinio muniuntur, & aliquod dubium exortum decidatur, An dilectis pariter filiis Ministro Generali, & Commissario Generali ejusdem Ordinis hujusmodi Chordigerorum Confraternitates in Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus erigendi, illisque Indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicandi facultas per posteriores Pauli praedecessoris literas praefatas attributa reperitur. Nobis propterea dictus Franciscus Maria Procurator Generalis, etiam eorumdem Ministri Generalis, ac Commissarii Generalis nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Defunctorum ad sepulturam, aut alia pietatis opera exercentibus 100. dies.

Indulgit Confratribus, ut dd. Indulgentias, & gratias animabus defunctorum valeant applicare.

Facultas Ministro Generali Ministri Conventualium erigendi hujusmodi Confraternitates in qualibet Ecclesia sui Ordinis.

Quod Confraternitates sic erectae intelligerentur aggregatae d. Archiconfraternitati Sancti Francisci Assisien.

Sixtus V. facultatem concessit Ministro & Commissario Generali Ord. Fr. Minor. S. Francisci de Obf. erigendi dd. Confraternitates in Ecclesiis eorum Ordinis ubi non existerent Fr. Conventuales.

Preces Procuratoris Generalis Ordinis Frat. Minor. S. Francisci de Obf. pro confirmatione dd. literatum.

Item pro illarum declaratione prout in rubrica.

Absolutio a
Censuris, &
pœnis.

Pontifex fa-
cultatem da-
tam dd. Mini-
stro, & Com-
missario eri-
gendi hujus-
modi Confrat-
ernitates, &
eisque commu-
nicandi
suprad. Indul-
gentias ubi
non sunt Con-
ventus vel
Ecclesie Fr.
Conventua-
lium confir-
mat.

Declarat eis
hanc facultate
compe-
tere ubicum-
que etiam in
Indiis tam O-
rientalibus,
quam Occi-
dentalibus
ubi non sunt
Conventus,
vel Ecclesie
d. Ordinis
Fr. Conventu-
alium.

Confratri-
bus, & Con-
sororibus
hujusmodi
Confraterni-
tatum visi-
tantiibus Ec-
clesias d. Or-
dinis Fr.
Min. in cer-
tis festis sep-
tem annos,
& totid. qua-
dragenas de
injunctis
pœnitentiis
relaxat prout
in rub.

§. 4. Nos igitur ipsos Franciscum Mariam
Procuratorem Generalem, ac Ministrum, &
Commissarium Generales spiritualibus favoribus,
& gratis annuere volentes, & eorum singula-
res Personas a quibusvis excommunicationis, sus-
pensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis
sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab
homine quavis occasione vel causa latis, si qui-
bus quomodolibet innodati existunt ad effectum
præsentium dumtaxat consequendum harum se-
rie absolventes, & absolutos fore censentes,
hujusmodi supplicationibus inclinati, facultatem
erigendi, & instituendi Confraternitates Chor-
digerorum S. Francisci utriusque sexus in Ec-
clesiis Ordinis Fratrum Minorum ejusdem S.
Francisci de Observantia tantum, nempe in lo-
cis in quibus non extant Conventus, vel Eccle-
siæ dicti Ordinis Minorum S. Francisci Con-
ventualium, illisque sic erectis, & institutis,
indulgentias, & gratias spirituales supradictas,
sicut præmittitur communicandi pro tempore
existentibus Ministro Generali, & Commissario
Generali ejusdem Ordinis Fratrum Minorum de
Observantia a memorato Paulo prædecessore
concessam, ut præfertur, expeditaque desuper
ipsius Pauli prædecessoris literas præfatas cum
omnibus, & singulis in eis contentis, autho-
ritate Apostolica tenore præsentium perpetuo
confirmamus, & approbamus, ac innovamus,
illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur
adjicimus.

§. 5. Sic ac eisdem Ministro, & Commissa-
rio Generalibus, eorumve cuilibet ejusmodi
Confraternitates Chordigerorum S. Francisci in
Ecclesiis eorum Ordinis tantum ubicumque,
etiam in Indiis tam Orientalibus, quam Occi-
dentalibus consistentibus, in locis tamen ubi
non sint Ecclesiæ, vel Conventus præfati Ord.
Minorum S. Francisci Conventualium erige-
re, & instituere, illisque omnes, & singulas
Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac
pœnitentiarum relaxationes, aliasque gratias
spirituales præfatas, servata tamen dictarum
Constitutionum Sixti, & Clementis, ac lita-
rarum Pauli prædecessorum præfatorum forma,
& dispositione communicare licuisse, & deinceps
perpetuis futuris temporibus licere auctoritate,
& tenore prædictis declaramus.

§. 6. Præterea Confratres, & Conforores
Confraternitatum hujusmodi ubicumque loco-
rum, etiam in Indiis Orientalibus, & Occi-
dentalibus per Ministrum Generalem, & Com-
missarium Generalem dicti Ordinis Fratrum
Minorum S. Francisci de Observantia pro tem-
pore existentes: seu eorum alterum, hætenus,
sicut præmittitur erectarum, & deinceps quan-
documque erigendarum ad Christianæ pieta-
tis opera peramplius incitare cupientes, ac de
Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum
Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate
confisi, omnibus, & singulis earundem Con-
fraternitatum Confratribus, & Confororibus
vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Com-
munionem recepisse, qui aliquam ex Ecclesiis d.
Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Ob-
servantia in ejusdem S. Francisci Sacrorum
Stigmatum, S. Didaci, S. Petri de Alcantara,
Sanctorum Martyrum ejusdem Ordinis, S. Lu-
dovici Regis Francorum, & S. Elisabethæ Re-
ginæ Hungariæ festivitatis, a primis vespere
usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi
annis singulis devote visiterint, & ibi pro
Christianorum Principum concordia, heresum
extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatio-
ne pias ad Deum preces effuderint, quo die festi-
vitarum hujusmodi id egerint, septem annos, &
totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias
quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ec-
clesiæ consueta relaxamus.

§. 7. Decernentes easdem præfatas literas
semper firmas, validas, & efficaces existere,
& fore, suosque plenarios, & integros effec-
tus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spec-
tat, & pro tempore quandocumque spectabit
in omnibus, & per omnia plenissime suffragari,
& ab eis inviolabiliter observari: sicque
in præmissis per quoscumque Judices Ordina-
rios, & delegatos, etiam Causarum Palatii
Apostolici Auditores judicari, & diffiniri de-
bere; ac irritum, & inane si secus super his
a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel
ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, &
Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus
sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de
non concedendis Indulgentiis ad instar, aliis-
que Constitutionibus, & Ordinationibus Apo-
stolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ
in præfatis Pauli prædecessoris literis concessa
sunt non obstare, cæterisque contrariis quibus-
cumque.

§. 9. Volumus autem, ut ipsarum præsen-
tium literarum transumptis, seu exemplis,
etiam impressis manu alicujus Notarii publici
subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica
dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus
fides tam in iudicio, quam extra illud habeatur,
quæ haberetur ipsis præsentibus si forent
exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub
Annulo Piscatoris die 13. Julii 1673. Pontifica-
tus nostri Anno quarto.

I. G. Slusius.
Reg. in Sec. Brevium in lib. Mensis Julii par-
utraque fol. 594.

Indultum, ut in omnibus Hispaniarum Regnis
Festum B. Ferdinandi tertii Regis Castellæ,
& Legionis de præcepto servari, & cele-
brari possit, ac Officium de illo sub ritu Du-
plici cum lectionibus propriis a S. Congrega-
tione Rituum approbandis, recitari valeat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXigit Apostolicæ servitutis ministerium,
quod imbecillitati nostræ committere vo-
luit Divina dignatio, ut pia sublimium Principum
Orthodoxæ Fidei tuendæ, & propagandæ
zelo, aliisque multiplicibus in Ecclesiam Dei me-
ritis conspicuorum vota, quibus Beatorum Cœ-
lestis Hierusalem Civium immarcescibili gloriæ
corona redimitorum veneratio in terris promo-
vetur, ad exauditionis gratiam paterna chari-
tate admittamus.

§. 1. Alias siquidem nos piis, enixisque Cha-
rissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum
Regis Catholici, & Charissimæ in Christo filiæ
nostræ Mariannæ earundem Hispaniarum Re-
ginæ Catholice viduæ ejus Genitricis precibus
nobis humiliter porrectis inclinati, ut in om-
nibus Regnis Hispaniarum, & ditionibus ei-
dem Carolo Regi subjectis, in Ecclesia SS. Jacobi,
& Idelphonis de Urbe Nationis Hispano-
rum de Servo Dei Ferdinando III. Rege
Castellæ, & Legionis, cognomento Sancto, Mis-
sa, & Officium de Communi Confessorum non
Pontificum sub ritu Duplici juxta rubricas Brevia-
rii, & Missalis Romani quotannis in perpetuum
die 30. Maji, qua idem Servus Dei obdormivit
in Domino, celebrari, & ab omnibus utriusque

Contrario-
rum derogato.

Transum-
ptorum fi-
des.

Edit. 13.
Julii 1673.
An. 4.

XL.

Exordium
ab exaudien-
dis piis votis
sublimium
Principum.

Missæ, &
Officium de
Comu. Conf.
non Pont. die
30. Maji de
S. D. Ferdi-
nand III.
Castellæ, &
Legionis Re-
ge.

